

*Quod habeo, hoc tibi do:
in nomine Iesu surge et ambula.*

Léctio Actuum Apostólorum

3, 1-10

In diébus illis:

- ¹ Petrus et Ioánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam.
- ² Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, baiulabátur; quem ponébant cotídie ad portam templi, quæ dicitur Speciósia, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum;
- ³ is cum vidísset Petrum et Ioánnem incipiéntes introíre in templum, rogábát, ut eleemósynam accíperet.
- ⁴ Intuens autem in eum Petrus cum Ioánne dixit: «Réspice in nos».
- ⁵ At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis.
- ⁶ Petrus autem dixit: «Argéntum et aurum non est mihi; quod autem hábeo, hoc tibi do: in nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula!».
- ⁷ Et apprehénsa ei manu déxtera, allevávit eum; et prótinus consolidátæ sunt bases eius et tali,
- ⁸ et exsíliens stetit et ambulábat; et intrávit cum illis in templum, ámbulans et exsíliens et laudans Deum.
- ⁹ Et vidi omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum;
- ¹⁰ cognoscébant autem illum quóniam ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi,